

voluntatis, cur possit et velit, immo nonnunquam debeat e. g. in actibus fidei assensum mentis determinare.

4. Hoc idem etiam *experientia* tum nostra tum aliorum confirmat. Quotiescunque enim veritas immediate in se apparet, e. g. existentia nostra vel aliorum, quos videmus, vel veritas: $2 + 2 = 4$, vel conclusio in syllogismo a priori, ut in re mathematica, sentimus, impossibile esse assensum denegare; et in his veritatibus homines, quando ipsis rite proponuntur, omnes consentiunt, neque ulla oriuntur dubia, ne imprudentia quidem; adest igitur evidētia *necessaria*, quae mentem physice necessitat. Quando autem veritas non in se apparet, sed in signo, licet nexum logicum clare demonstrare possimus e. g. existentiam Dei ex existentia mundi, experimur tamen aliquam difficultatem et obscuritatem in assentiendo, et saepe recurrunt dubia, licet videamus esse imprudentia; adest igitur sola necessitas logica ac proinde evidētia vel certitudo *libera*, quia voluntas assensum *physice* determinat et per consequens dubia imprudentia excludit.¹⁾ Itaque nil mirum est, in his veritatibus homines saepe dissentire et, si voluntas, cuius est ad has veritates amplectendas mentem determinare, non est bene disposita vel passionibus obnoxia, homines saepe dubitare. Unde patet, esse iam meritum aliquod naturale, Dei existentiam, revelationem divinam, testimonia humana et alias eiusmodi veritates admittere, etiamsi cum logica necessitate probari possint, cum *physica* mentis determinatio dependeat a voluntate, ad quam spectat tota ratio honestatis et meriti naturalis. — Ex dictis patet, assensum in iudicio esse actum *novum*, distinctum a perceptione identitatis inter subiectum et praedicatum, quotiescunque voluntas assensum intellectus determinat. Si vero obiectum ipsum assensum determinat, non videtur, saltem in *directa* cognitione, necessarium, actum assensus non solum virtualiter, sed realiter a perceptione identitatis distinctum statuere (vide Boedder, *Psycholog.*² p. 180 sq. contra Lehmen, *Lehrb. d. Philosophie*² II, 403 sq.).

II. *Scholion* de difficultate circa assensum fidei certum, sed non evidentem.

1. In veritates revelatas duplex potest fieri assensus, unus *naturalis*, *supernaturalis* alter. *Naturalis* assensus praestatur propter evidētia naturalem, i. e. propter necessitatem logicam, quam deprehendimus inter factum revelationis ex una parte, et Dei auctoritatem nobis certo constantem ex altera parte. Videmus enim tunc veritates fidei in signo auctoritatis Dei revelantis. Eiusmodi igitur assensus efficitur evidētia naturali, et potest per se inesse etiam in incredulo; immo, ut ait Apostolus, „et daemones credunt et contremiscunt“ (Iacob. 2, 19).

2. Assensus vero *supernaturalis* in veritates fidei non praestatur propter evidētia illam naturalem, sed propter auctoritatem Dei revelantis. Supponitur quidem ut *conditio* vel *dispositio* necessaria evidētia illa naturalis in praebulis fidei, ut „obsequium nostrum sit rationabile“ (I Petr. 3, 15;

¹⁾ Auctores passim evidētia liberam adesse dicunt, si dubia *imprudētia* occurrunt; sed non satis indicare videntur, *quando* et *cur* dubia imprudētia adesse possint. Unde ea adesse posse dicimus, quia et quando veritas non in se, sed in signo apparet, in se ipsa autem affirmatur. Cfr. G. Schmitt, *Vernunft u. Wille in ihrer Beziehung zum Glaubensakt*, 1903, p. 72—82.

Rom. 12, 1), quemadmodum ut fides alicui habeatur, eius scientia et veritas supponitur. Quare s. Augustinus: „Nisi aliquid intelligat, nemo potest credere in Deum“ (in Psal. 118, sermo 18, n. 2)¹⁾, et s. Thomas: „Non crederet homo nisi videret ea esse credenda“ (S. Theol. II, II, qu. 1. a. 4 ad 2). Quod idem constat per constantem Ecclesiae doctrinam, ut patet ex propositionibus 20 et 21 ab Innocentio XI. damnatis die 2 Martii 1679, ex Encyclica Pii IX. de die 9. Nov. 1846: „Qui pluribus“, ex Concilii Vaticani constitutione de fide cathol. c. III anno 1870.²⁾

3. Immerito igitur quidam,³⁾ fide christiana abiecta, censent, rationi humanae vim inferri eiusque dignitatem et libertatem destrui, si fides postulatur. Nam motivis credibilitatis bene perspectis, ratio *ipsa* intelligit, Deum in Christo sese revelasse et magisterium infallibile ecclesiae instituisse (Matth. 16, 18; 18, 17; I Timoth. 3, 15); quo clare cognito ratio ipsa, si sibi velit constare, dictat, credendum esse quicquid Ecclesia, „columna veritatis“, tanquam a Deo revelatum proposuerit. Si hominibus fide dignis credimus, etiamsi res quas non intelligimus, nobis revelant, cur non Deo eiusque organo visibili, praesertim si veritates intellectum humanum transcendentem manifestant?

4. Haec igitur evidētia naturalis motivorum credibilitatis quodam modo materiam fidei proponit, sicut sensus suppeditant materiam intellectui. Unde illa evidētia naturalis aliquo modo dici potest causa *materialis* respectu actus fidei, sicut sensatio vocatur causa materialis actus intellectus, non autem eius ratio formalis. Sicut igitur intrinseca est et essentialis differentia inter actum sentiendi et actum intelligendi quoad obiectum formale, licet materiale nonnunquam possit esse idem, similiter etiam est essentialis et quasi infinitum discrimen inter actum mentis naturaliter certum et evidentem, et actum fidei supernaturaliter certum et non evidentem, quamvis obiectum materiale utriusque actus, e. g. existentia Dei, nonnunquam sit idem. Causa enim formalis actus fidei est sola auctoritas Dei revelantis. Nam assensus fidei est *super omnia* firmus ac proinde eius motivum debet esse *super omnia* firmum, ita ut naturalem evidētia infinite superet. Iam

¹⁾ Hoc effatum ostendit, quo sensu illud p. 7 exhibitum: credo ut intelligam, sit intelligendum. Idem dicit contra duas epist. Pelag. II, c. 8; „Quis non videat, prius esse cogitare, quam credere?“ ²⁾ Cfr. Mazzella, *De virtutibus infusis*, 1879, p. 391, et 419 sq. *Kirchenlexikon*², Art. Glaube (Scheeben).

³⁾ Paulsen, *Philosophia militans*, p. 52: „Eine Instanz, die durch ihre Erklärungen über wahr und unwahr, über gut und böse, ein für allemal meine Vernunft und mein Gewissen bände, die kann ich nicht anerkennen, ohne mich selbst, ohne die Krone meines Menschthums, die Selbstgewissheit des Geistes, aufzuheben. Dass ich innerlich nur durch meine Vernunft und mein Gewissen gebunden bin, nicht durch eine menschliche Instanz ausser mir, das ist die Magna Charta des Protestantismus.“ Certe, si Paulsen crederet, non negaret Deum personalem; animam humanam esse substantialem, immortalem, liberam; auctoritatem infallibilem s. Scripturae, quae tamen sunt fundamenta vitae christianae, moralis et religiosae, in quibus et Catholici et Protestantes consentiunt. Quid, quod tot viri de scientiis optime meriti toto corde fidem christianam amplexati sunt? (cfr. supra p. 6 sq.) Quid ipse Goethe de fructibus fidei senserit, lege „Alttestamentliches“ Westöstl. Divan; porro Cicero, de nat. deor. I, 2, 4, de necessitate religionis pro salute civitatis.

vero eiusmodi motivum non potest esse, nisi auctoritas Dei, quae sola est super omnia, i. e. infinita.

5. Quum vero veritates fidei non in se videantur, sed in signo, i. e. revelatione divina et magisterio ecclesiae, deinde quum assensus fidei sit super omnia firmus et assensum ex evidentia naturali infinite superet, patet, voluntatem debere *physice* determinare actum fidei eumque secundum dignitatem motivi, quod est auctoritas Dei infinite perfecti et amabilis, *super omnia* firmum reddere. — Ac proinde causa *materialis* actus fidei potest vocari naturalis illa evidentia in se libera motorum credibilitatis, quae utique gratiam saltem quoad modum supernaturalem non excludit; causa vero *formalis* est auctoritas Dei revelantis infinita; causa *efficiens* est intellectus adiutus gratia quoad substantiam supernaturalem; causa vero *moralis* est voluntas a Deo inspirata, assensum mentis ex se insufficientis ad actum *physice* praestandum imperans. „Credere enim,“ ait s. Thomas, „est *actus intellectus* assentientis divinae veritati *ex imperio voluntatis* motae per gratiam,“¹⁾ quod veteres duce s. Augustino breviter enuntiabant: Credere Deo, Deum, in Deum.²⁾ — Ceterum de hac quaestione difficili vide theologos probatos.³⁾

§ 2. Species certitudinis.

Thesis IX: Sola certitudo metaphysica est absoluta; physica vero et moralis, licet ex se sint hypotheticae, sunt tamen vera certitudo.

St. qu. 1^o Certitudo distinguitur: a) *naturalis*, quae in omnibus hominibus invenitur et nititur evidentia naturali; *philosophica*, quae oritur ex reflexione mentis in motiva certitudinis, et est scientifica; b) *immediata*, quae non indiget probatione; *mediata*, quae probanda est; c) *directa*, quae in cognitione directa implicite inest; *indirecta*, quae in reflexione invenitur; d) *necessaria*, quam mens declinare non potest; *libera*, quae eget determinatione voluntatis; e) *absoluta* et *hypothetica*. De hac specie nobis specialis est quaestio.

2^o Certitudo igitur *absoluta* est, quae non pendet ab ulla conditione, et vocatur *metaphysica*, quia nititur ipsis rerum essentiis; *hypothetica* vero est, quae pendet ab aliqua conditione et dividitur in *physicam* et *moralem*, prout fundatur in existentia et constantia legum vel physicarum vel moralium. Unde patet, nullam posse fieri exceptionem, quando adest certitudo metaphysica, quia rerum essentiae necessariae sunt et immutabiles; potest vero fieri exceptio, quando

¹⁾ S. Theol. II, II, qu. 2, a. 9. ²⁾ Ibid. art. 2.

³⁾ Cfr. G. Schmitt, l. c. cui difficillimam hanc quaestionem in multis bene tractanti, non assentimur docenti: a) actum fidei esse *formaliter* actum voluntatis, non intellectus; b) proinde ad actum fidei non requiri alium actum intellectus praeter assensum certum et necessarium in motiva credibilitatis ex *evidentia naturali* ortum, quem assensum *per se naturalem* voluntatem gratia adiutam ex obedientia vel amore erga Deum infinite perfectum libere approbare et suum facere. Sed unde tunc voluntas *caeca* motivum *fidei* habet, distinctum a motivo finito evidentiae naturalis? c) non esse certitudinem liberam; d) certitudinem gradus habere non posse; cfr. supra p. 119, 133 sq.

adest certitudo physica, si Deus miracula facit; et fit exceptio in certitudine morali, quando leges morales ab hominibus offenduntur.

3^o Adversantur nobis inprimis *Sceptici* nullam certitudinem admittentes; porro *Sensistae* et *Positivistae* reicientes certitudinem metaphysicam; *Pantheistae* solam certitudinem metaphysicam, *Subiectivistae* et *Idealistae* duce Kant solam certitudinem subiectivam experientiae internae (conscientiae) statuentes; *Rationalistae* certitudinem moralem, praesertim ratione revelationis divinae, negantes.

I. Certitudo metaphysica est absoluta.

Prob. 1. Ex eius motivo. Natura et perfectio certitudinis pendet a motivo, quo gignitur; si igitur motivum certitudinis est absolutum, i. e. ab omni conditione, etiam ab existentia rerum independens, intrinsece immutabile, undique perfectum, etiam certitudo inde orta erit absoluta, immutabilis, perfecta. *Atqui* certitudo metaphysica fundatur eiusmodi motivo; nititur enim essentiis rerum, ne supponit quidem earum existentiam; essentiae autem rerum sunt immutabiles, aeternae, neque in ullo deficere possunt, e. g. theoremata mathematica. *Ergo* certitudo metaphysica absoluta est.

(2. *Ex comparatione cum aliis.* Illa certitudo absoluta est, ad quam omnis alia reduci debet, ut sit absoluta et prorsus immutabilis et perfecta. *Atqui* certitudo tum physica tum moralis, ut sit absoluta, immutabilis, perfecta, debet reduci ad metaphysicam. Quod fit, si ostenditur, adesse *intrinsecam* repugnantiam exceptionis. Iam vero ad hoc probandum sufficit ostendere, nullam *de facto* adesse exceptionem legum vel physicarum vel moralium. Quodsi constat, eo ipso patet, ordinem naturae valere, et tunc certitudo physica et moralis etiam ipsa est metaphysica, quia intrinsece repugnat, leges illas valere et simul non valere. *Ergo* certitudo metaphysica est absoluta.)

II. *Certitudo physica et moralis ex se est hypothetica, et imperfecta*; nam pendet a) ab existentia, b) a constantia legum physicarum et moralium. *Atqui* constat: a) saltem leges physicas intrinsece neque necessarias neque immutabiles esse, b) posse nonnunquam exceptionem fieri in illis legibus vel per divinum miraculum, vel per humanae voluntatis influxum sive defectum. *Ergo* illa certitudo ex se hypothetica est.

III. Est tamen vera, licet imperfecta, certitudo.

Prob. 1. Ex consensu hominum: Omnes homines sine ulla haesitatione, si sunt sana mente, affirmant veritates physicas vel morales, e. g. ignem urere; Romam existere. *Atqui* ille consensus hominum nititur humana natura, quae verax est. *Ergo* certitudo physica et moralis est vera certitudo.

2. *Ex comparatione cum opinione:* Certitudo essentialiter differt ab opinione, quae contradictorii neque possibilitatem neque proba-

bilitatem excludit. *Atqui* certitudo tum physica, tum moralis certe oppositi probabilitatem et, nisi contrarium positivis rationibus constat, etiam possibilitatem extrinsecam (compossibilitatem, possibilitatem simultaneitatis) excludit; nam ordo naturae et ordo moralis, quamdiu exceptio non probatur, praesumuntur constantes, uniformes. Alioquin non posset esse: a) scientia naturalis, quae constantia et uniformitate legum naturalium fundatur; nulla agricultura, architectura etc.; b) nulla societas, familia, res publica, amicitia; nullae leges, foedera nulla, non vita communis, quae ordine morali continentur. *Ergo* certitudo et physica et moralis est vera certitudo.

3. *Ex natura certitudinis.* Ut sit formalis certitudo, requiritur veritas, impossibilitas oppositi, evidentia. *Atqui* haec tria adsunt in certitudine tum physica, tum morali. Nam adest a) *veritas*; illa enim certitudo fundatur motivo vero et existenti; *existit* enim vere ordo tum physicus, tum moralis, ut omnes concedunt. Deinde adest b) *impossibilitas* saltem extrinseca oppositi; nam ordo naturae et ordo moralis est *constans* et *uniformis*; quod testatur et nostra experientia et modus hominum agendi et providentia divina. Humana voluntas, licet infirma sit et libera, tamen sequitur certas leges; nam intellectus sequitur verum et voluntas bonum, et conscientia et amor virtutis vitiique odium, necnon divina et humana iustitia et providentia Dei sunt custodes continui ordinis moralis. Unde supponendum est, ordinem tum physicum, tum moralem valere, quotiescunque non constat argumentis positivis, exceptionem adesse. Adest denique c) *evidentia*; nam ordo physicus et ordo moralis experientia tum interna, tum externa certo, facile, immediate apprehenduntur; immo etiam exceptiones, quando adsunt, hoc modo facile cognoscuntur; ac proinde adest evidentia immediata, quae nonnunquam maiorem potest creare certitudinem vel physicam vel moralem, quam est metaphysica. Sic de propria existentia vel Romae existentia nobis certius constat, quam de multis theorematibus mathematicis in se absolute certis.

Schol. I. Certitudo physica et moralis possunt etiam aliquo modo absolute et relative considerari: *absolute*, si in genere spectantur, prout referuntur ad ordinem physicum vel moralem, quo fundantur; *relative vero*, si referuntur ad singula subiecta, in quo sunt, vel ad statum scientiae plus minus perfectum.

II. Certitudo obiectiva, si consideratur abstractione facta a modo, quo manifestatur, sed solum in se, non dividitur in species; unde in divina mente, cuius cognitio terminatur quidem ad obiecta, sed non determinatur ab obiectis, sed a divina essentia, nulla est divisio certitudinis in metaphysicam, physicam et moralem. Si vero modus consideratur, quo veritas se nobis manifestat, species illae certitudinis habentur.

III. Cum certitudo physica et moralis, ut sit perfecta et absoluta, reduci debeat ad metaphysicam, patet, debere existere veritatem absolutam, ne cer-

titudo pereat; nam imperfectum supponit ex natura sua perfectum; et ordo physicus et moralis supponit metaphysicum, i. e. rerum possibilitatem; ac proinde existit veritas absoluta, immutabilis. Porro inde elucet, certitudinem physicam et moralem non esse species coordinatas cum metaphysica sub genere aliquo certitudinis; sed hanc potius esse genus analogicum, ita ut certitudo physica et moralis ad metaphysicam referantur analogia attributionis intrinsecae.

IV. Certitudo non admittit gradus accidentales quoad exclusionem formidinis errandi; nam exclusio erroris est in indivisibili quoad partem negativam; admittit tamen gradus ratione firmitatis assensus; haec enim dependet: 1) a numero et pondere motivorum; 2) ab eorum evidentia; 3) ab influxu voluntatis pro dignitate motivorum vel veritatis ipsius. Iam vero cum formido erroris excludatur per positiva motiva certitudinis, patet, etiam illam exclusionem saltem fundamentaliter vel causaliter, non vero formaliter admittere gradus. — At nonne sunt veritates evidentes, de quibus nullum ne imprudens quidem dubium oriatur, aliae vero, de quibus dubia saltem imprudentia saepe habeantur, unde videantur esse gradus quoad exclusionem formidinis? dist.: formaliter — nego; fundamentaliter vel causaliter — conc.; adest differentia *evidentiae*, quae est positiva ratio assensus.

Contra I. partem:

Obi. 1. Certitudo metaphysica neque est absoluta neque aliis perfectior, quia saepe firmitus adhaeremus physicae vel morali; dist.: per se — nego; per accidens — conc.

2. *Atqui* etiam *per se* possumus saltem aequè firmiter certitudini physicae vel morali adhaerere; nam a) etiam in certitudine physica et morali res vel est vel non est; dist.: in se — conc., quoad modum nostrae cognitionis sive motiva assensus — nego; b) possibilitas oppositi excluditur et plus quam illa possibilitas excludi nequit; dist.: plus quam possibilitas metaphysica — conc., plus quam physica et moralis — nego.

3. *Atqui* etiam certitudo physica et moralis potest esse absolute certa; nam facta physica et moralia possunt esse absolute certa; dist.: quoad nexum obiective intrinsecum — nego; quoad cognitionem nostram, subd.: exclusa omni exceptione possibili — conc.; omni exceptione nondum positive exclusa, iterum dist.: si solus ordo naturae vel morum consideratur — trans. vel concedo (vide Schol. I. supra); si modus cognitionis subiectivae consideratur — nego.

Contra II et III partem:

Obi. 1. Nulla est certitudo physica vel moralis, quia est de veritatibus contingentibus; dist.: quoad nexum ontologicum inter subiectum et praedicatum — conc.; quoad nexum logicum ratione nostrae cognitionis — nego.

2. *Atqui* etiam quoad nexum logicum, quia possibilitatem oppositi non excludunt; dist.: non excludunt metaphysice — conc.; neque physice vel moraliter (compossibilitatem) — nego.

3. *Atqui* nullo modo excludunt possibilitatem; nam aut scis, exceptionem non fieri, et tunc adest certitudo metaphysica; aut nescis, et tunc nulla adest certitudo, quia suspicio de opposito semper esset rationabilis; dist.: si adest ratio positiva dubitandi — conc.; si nulla adest — nego.

4. *Atqui* saltem nulla est certitudo moralis, quia voluntas hominis libera est et perversa; dist.: ita ut nullas leges sequatur — nego; alias — conc.